



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

7tima Visitatio Sacramenti. Actus eliciendi tempore Extremæ Unctionis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

& adjuro : Ut quantum ipsi vos divina bonitati, per quam eternam beatitudinem consecuti estis, obligatos esse intelligitis, tantum vos nunc totos pro salute mea impendere dignemini. Demum cum Ecclesia Matre ad Deum confugiens dico :

Deus, qui beatam Julianam Virginem tuam extremo morbo laborantem pretioso Filii tui corpore mirabiliter recreare dignatus es. Concede quasumus ejus intercedentibus meritis, ut nos quoque eodem in mortis agone refecti ac roborati ad caelestem patriam perducamur. Per D. N. J. C.

7ima Visitatio Sacramenti.

Actus eliciendi tempore Extrema Unctionis.

Domine Jesu, jam cubitum iturus te adoro. Et cum hunc diem totum impenderim in me ad bonam mortem præparando ; ut eam quieti concessurus eò mihi vivaciùs ante oculos ponam, non discedam hinc, nisi postquam in Spiritu Extremam Unctionem perceperim. Quæ (sicut Baptismus mihi contulit gratiam, ut bene vivere inceperim) *extremum vita mea teste Trid. tanquam fortissimo presidio muniet.* Itaque percurram modò mente coram te Deo meo Eucharistico singulos sensus (hinc illis applica formulam Ext. Unct. illos Cruce signando & dicendo : *Per istam S. Unctionem, &c.*) pro quolibet petam veniam injuriarum, quas per illum tibi irrogavi, & ad resarciendos meos per illum commissos defectus æterno Patri tuo of-

feram cruciatus illos, quos tu in quolibet festo pro me pertulisti.

§. 3^{tius}.

Praxis horis singulis à Deo, B. V. & Sanctis felicem mortem exorandi.

P Nadasi Praxes varias tibi suggerit, quibus quis, dum sanus est, ad mortem aliquando devotè obeundam se præparare possit. Ego ex duabus unam faciens ostendam modò, quomodo vel singulis mensibus, vel saltem per annum sæpiùs die v. g. aliquo Sabbathino, vel Deiparæ festo dies vitæ ultimus Beatissimæ Virgini Deiparæ offerendus, & à Deo, B. V. & Sanctis, quorum memoria singulis per annum mensibus ab Ecclesia recolitur, pro die isto implorandum sit auxilium ac patrocinium per singulas 24. horas diei naturalis. Et quia de nocte singulis horis id commodè fieri non potest, singulis duodecim per diem horis à 6^{ta} Matutina ad Sextam Vespertinam exclusivè duplicem adjiciam affectum vel orationem. Unam ad B. V. dein alteram ex festis cujuslibet mensis per annum incipiendo à Januario. Sic autem quælibet per diem hora pro correspondente sibi noctis hora hîc computari debet, prout horæ exceptâ Italiâ numerantur in Europa.

Hora 6^{ta} Matutina.

Offero tibi Maria Mater Dei hunc & ultimum diem vitæ meæ cum singulis suis horis ac
mo-